



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punct. Diffic. 1. Argumenta partis Affirmantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

sine ulla præconsultatione libertatis Christi; ut videre fuit in primo signo rationis.

OBJICITUR 2. Si ex libera Christi determinatione est factum, ut moreretur; cur dicit, *Si possibile est, transcat calix.*

RESPONDETUR. Dicit id, ex mente Patrum, ut ostendat se veras passiones habere, adeoque timorem mortis, vel id dixit, ratione præcepti jam sibi impositi.

INSTABIS. Hanc explicationem non ostendere verum mandatum; quia hoc mandatum nullo distinguitur à prædefinitionibus: & tamen prædefinitiones non sunt mandata.

RESPONDETUR. Quid si quis diceret, etiam prædefinitiones esse mandata? Sed quidquid sit de hoc, ex alio id principio solvitur: nempe quod in re, & à parte Dei, mandatum & prædefinitio sit idem; sunt enim actus Dei, adeoque idemmet Deus; per ordinem autem ad connotata, per ordinem ad æquivalentiam, per ordinem ad proportionem cum creatis, discernuntur. Nam prædefinitio indicat non nisi appetitum Dei, quo appetit effectum v. g. gratificationem: qui appetitus fundatur in ejus sanctitate, & communicativitate sui; jam autem mandatum importat ordinationem, oriundam à titulo superioritatis; & procedit, secundum dominiū jurisdictionis; de quo in materia de justitia.

OBJICITUR 3. Totam hanc difficultatem moveri posse, de illo præcepto, facto in primo signo rationis; adeoque nos non respondere difficultati, sed solum materiā difficultatis mutare.

RESPONDETUR. Ad hoc esse responsum, de quo agitur difficultas maximè, nempe de morte & meritis. Nec in ordine ad hoc, debet salvari libertas Christi, ut nos sanctificaret, vel non sanctificaret: hoc enim, quod est nos sanctificare, oriebatur ex decreto facto, ut esset Christus caput gratiam & gloriam influens. Porro non erat liberum Christo, ut esset tale caput; cum motivum capitis, præcesserit decretum substantiam Incarnationis, respectu cujus, illud motivum habuit se per modum causæ, adeoque antecedentis. Si autem illud motivum præcessit ipsam substantiam Incarnationis; hoc ipso præcessit ipsam libertatem Christi: cum libertas Christi supponat ipsam substantiam Christi. Quod si motivum capitis præcessit ipsam libertatem Christi; præcedere etiam debuit id, quod est innexum illi ipsi formalitati capitis: formalitati autem capitis innectitur sanctificatio nostra.

DIFFICULTAS V.

Potuitne Christo dari Præceptum rigorosum?

Hæcenus dicta supponunt, Christo præceptam esse mortem: potest autem dubitari, An Christus capax fuerit præcepti, intellige, rigorosi: Tractat hanc quæstionem Aldrete disp.

73. & affirmat, Christum, quamvis non esset capax præcepti comminativi & coactivi, ut habetur sect. 3. n. 7. Fuisse tamen capacem præcepti in conscientia obligantis: ut habetur sect. 4. n. 1. Contra Esparza quæst. 32. docet, Christum esse incapacem præcepti, obligantis in conscientia. *Pensande sunt imprimis rationes utriusque partis.*

Punctum Difficultatis 1.

Argumenta partis affirmantis.

EXPENDUNTUR ea, quæ disputat Aldrete disp. 73.

1. ARGUMENTUM ab autoritate.

1. AUTHORITY est Joan. 10. *Mandatum accepi à Patre meo.* Similia habentur Joan. 14. quæ accipi de proprio præcepto, nullum est incommodum.

RESPONDETUR. Esse incommodum, ob argumenta inferius ponenda. Deinde, procedit id, de præcepto respectu eorum, quæ poterant præcipi, & non præcipi, adeoque à Christo, salvâ suâ impeccabilitate, fieri vel non fieri: non autem de illis, quæ non poterant honesta actione exerceri: ita tamen, ut etiam respectu illorum priorum, non sit latum præceptum, cum omnibus circumstantiis, cum quibus fertur aliis, v. g. cum comminatione, item sine prævisione, quid esset factura creatura? quæ prævisio adhibetur in præceptis Christo latis, idque titulo tuendæ ejusdem libertatis.

INSTABIS. Ex Autoritate Augustini, tom. 4. lib. 2. de Sermone Domini in monte, condistinguentis observantiam consiliorum, ab observantia mandatorum, admittentisque utrumque in Christo.

RESPONDETUR. Concedo id distingui debere, & admitti in Christo; nam etiam respectu aliquorum, dicebat Deus, hoc bonum est factum, sed te ad hoc non obligo: in hocque stat consilium, respectu autem aliorum dicebat Deus, Fac hoc, obligo te ad hoc, à quibus ceteroqui potuisset abstinere, vel licitâ aliâ actione facere oppositum. Sed inde non sequitur, debere jam illud concedi præceptum, tanquam comminativum. Quando autem dicit Aldrete, non debere recurri ad improprias distinctiones præcepti, aliàs non rectè distingueret Augustinus præcepta à consiliis; qui non ignorabat, sub impropria acceptione præcepti, comprehendere divinum beneplacitum, id etiam non convincit. Quia nos respectu Christi admittimus, non solum beneplacitum divinum, sed etiam præceptum rigorosum, licet non cum imperfectionibus. Eodemque modo explicari debent Bernard - Tertullian - Laurent - Justinianus.

2. AUTHORITY itidem & Scriptura. Quia aliter loquitur Christus, de observatione consiliorum; v. g. *Si vis perfectus esse*, &c. aliter de observatione præceptorum; *Si vis ad vitam ingredi.*

gredi. Et tamen, eodem tenore loquitur, de præceptis à se, & à discipulis servandis, ait enim Joann. 15. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut ego Patris mei præcepta servavi.*

RESPONDETUR. Loqui Christum de executione præcepti, non autem de modo & materiâ lati præcepti, neque enim hoc vult textus. Si non loquitur de materia lati præcepti, & quoddam sit idem objectum præcepti rigorosi, respectu discipulorum, ac respectu Christi; consequenter, poterant illi in aliquibus obligari, in quibus præceptum rigorosum Christus non habuit. Unde quando adducit Anselmum, non negantem proprium præceptum respectu Christi, id non convincit; quia nos tale præceptum admittimus, modo explicato.

3. AUTHORITY est Concilii Alexandrini, & Agathonis Papæ, sed explicari debent eodem modo, ut prædicta.

INSTAT. Quia Concilium Francofordiense, discurrens contra Elipandum, asserentem, Christum esse servum, & probantem id ex Illa. c. 42. respondet, *Et si eum, inquit, Propheta servum nominasset; non tamen ex conditione servitutis, sed ex humanitatis obedientiâ, quâ factus est Patri obediens, usque ad mortem.* Ubi Concilium, videns negari non posse, Christi humanitatem, esse sub dominio Dei, exigitivo operationum ex iustitiâ, noluit negare hanc facultatem exigendi; sed negavit, talem obedientiam fuisse ex servitute.

RESPONDETUR. Concedo, humanitatis fuisse, obedientiam erga Patrem; sed nego, obedientiam hanc fuisse comminativam, &c.

2. ARGUMENTUM est. Nemini negare licebit, Deum, ratione domini proprietatis, erga humanitatem, potuisse à Christo operationes exigere, quas si per impossibile Christus negaret, utique peccaret; ergo etiam potuit illi imponi præceptum.

RESPONDETUR. Sicut in nostris principiis, non datur Dei, respectu creaturæ, rigorosa iustitia, dominiumque rigorosum proprietatis; ita non dabitur præceptum solum, comminativum. Disparitas etiam est: quia exigentia illa, titulo domini proprietatis, potest habere suum effectum; si enim illa non esset, non reddidisset Christus illa, quia nec habuit determinationem, ut independentem ab illo dominio, opera illa solverentur ex iustitia, hinc illius exigentiæ habebitur effectus, nempe solutio ejus, ad quod solvendum, non supponitur determinatio irrefragabilis. Independentem autem ab omni præcepto, jam erat in Christo determinatio servandi leges naturales, nempe titulo unionis hypostaticæ; hinc respectu illorum objectorum, fuisse essentialiter otiosum præceptum. Et sicut non datur præ-

ceptum essentialiter otiosum, quo Deus imperet Petro, ut sit homo, cum ad hoc, ut sit homo, essentialiter aliunde determinetur; ita & in Christo, esset essentialiter otiosum, præceptum servandæ legis naturalis, respectu autem aliorum objectorum, admisimus quidem præceptum, sed ex suppositione prævisi consensûs Christi, in illud objectum.

INSTAT 1. Sicut humanitas Christi, est sub dominio proprietatis, ita etiam est sub dominio jurisdictionis: ergo, sicut à Christo exigi possunt opera titulo proprietatis; ita exigi possunt titulo jurisdictionis.

RESPONDETUR. Negavimus supra rigorosum dominium, iustitialis proprietatis, Deo respectu creaturæ; hinc non tenebit antecedens. Disparitas etiam est: quia exigentia antecedentis non erit frustra, secus hæc secunda.

INSTAT 2. Nemo negat possibile fuisse, ut Christus veteri legi subderetur; idque de facto admittunt aliqui: legique Dei æternæ consent, cum S. Thoma, fuisse subditum. Imò Suarez docet, potuisse illum subdi etiam legibus humanis.

RESPONDETUR. Negando illum potuisse subdi, salvâ libertate, nisi illa præconfulatur. Nego item, subdi potuisse, cum titulo comminationis. Deinde, quia præcepta veteris legis (suppono ceremonialia) præcepta item humana, (quæ suppono versari circa actiones, alias de se non peccaminosas) habuissent etiam respectu Christi effectum, cum aliunde non esset ad hanc partem determinatus; secus respectu aliorum præceptorum, & materialium. Quando autem Theologi dicunt, legi Dei æternæ fuisse Christum subjectum: hoc significatur, non potuisse Christum non facere, quod lex dicebat; sed non quia lex dicebat: cum aliunde, illa non dicente, esset ad hoc determinatus. Unde erat subjectus legi objective acceptæ, seu materialiter: hoc est, determinabatur ad hoc faciendum, quod lex æterna dicebat; sed nego quod dici debeat subditus legi, quâ lex est; cum illa respectu Christi, in talibus, frustra foret.

INSTAT 3. Affirmant aliqui Theologi, confirmationem in gratia, non tantum præbere auxilium efficax, ad non peccandum, sed etiam auferre libertatem ad peccandum, necessitate antecedenti; & tamen supponunt obligatos illos fuisse, præceptis graviter obligantibus, idem dicendum de Beatissima Virgine.

RESPONDETUR. Negando quod confirmatio in gratia auferat libertatem. Sed si auferret, essent quidem obligati quoad objectum: quia non possent non velle illud objectum; sed non obligatione formali, quia hæc frustranea esset: cum illud non posset non servari, quod deberet præcipi. Quod autem dicit Aldrete, præduram esse hanc responsum, id ipsum probare

probare debuisset. Et durum quidem est, tales non fuisse subditos legi, diligendi Deum; hoc sensu, quasi potuerint non diligere Deum, salvâ sanctitate; sed id nos non dicimus. Sed non est durum dicere; tales non fuisse subditos legi, hoc est, independentem à lege, habuisse determinationem, ut diligerent. Simile quid videre est in Deo, obligato se diligere; respectu cuius non est licitum, ut se non diligit; non formatur tamen respectu illius, lex determinans, ut se diligit. In nostris principiis, quæ non ponunt auferri libertatem, confirmatione in gratia, sed dicunt, confirmatos in gratiâ posse peccare, licet non sint peccaturi; hoc ipso possunt esse capaces præcepti rigorosi, quia adhuc possunt peccare: impossibile autem erat Christo peccare.

3. ARGUMENTUM. Tenebatur Christus non mentiri, Deum diligere & colere, universaliterque tenebatur lege naturali. Ergo stat verum propriumque præceptum, absque facultate illud violandi.

RESPONDETUR. Lege naturali tenebatur Christus, non quia lex est formaliter, sed materialiter, & objectivè sumpta.

INSTAT 1. Non est de ratione legis, esse comminativam: sed sufficit, ut reddat illicitam carentiam operis præcepti, quæ per voluntatem Superioris potest reddi illicita; & sicut potest dari lex, quæ ad pœnam obliget, non autem ad culpam: ita dari potest reddens objectum illicitum, & prohibitum, quæ nullo modo pœnam minetur.

RESPONDETUR. Concedo, quod non sit de ratione legis esse comminativam; sufficitque, ut reddat illicitam carentiam operis præcepti, per voluntatem Superioris: sed supposito, quod illa voluntas frustranea non foret; foret autem frustranea: cum aliunde sit determinatio, ut hoc non nisi fiat. Concedo ulterius, in lege, aliud esse vim obligandi, quæ appellatur potestas directiva: & aliud vim subjiciendi ad pœnam, quæ appellatur coercitiva. Concedo item posse priorem non nisi illâ vim exerceri; sed nego, quod exerceri possit, circa ea, ad quæ est aliunde essentialis determinatio; si supponatur directio illa esse præceptiva.

INSTAT 2. Sicut ex natura mendacii, confurgit cognitio in Christo, necessitasque ad non mentiri; ita ex præcepto ad non vitandam mortem, confurgit determinata in Christo necessitas, ad non vitandam mortem. Ergo constituitur illud objectum malum moraliter, quia prohibetur.

RESPONDETUR. Concedo totum: sed nego, posse dari in Christo dictamen, ratione præcepti v. g. non mentiendi, necessitans ad vitandum mendacium; cum Christus dicat sibi frustra imponi, tale præceptum.

INSTAT 3. Quia supposito, quod Christus non possit mentiri, sequitur, quod sit capax præcepti; idque ideo: quia supponitur Christum nihil posse efficere, contra legem naturalem; idque ideo, quia violatio legis naturalis est turpis. Ergo similiter posset esse necessitatus, elicere aliquem actum tendentem in objectum honestum, quia ommissio talis actus esset turpis. Ergo Deus, pro suo beneplacito, potest respectu Christi, constituere in ratione objecti turpis, ommissionem alicujus actus; quia ejus ommissio est contra rationem. Hoc autem intelligitur nomine præcepti positivi, nempe voluntas Superioris terminata ad existentiam operationis in subdito, quæ constituat illicitam carentiam talis operationis.

RESPONDETUR. Christum non posse quidquam facere contra legem naturalem; hoc est, non posse objectum contrarium illi legi ponere; adeoque non potest quidquam facere contra legem naturalem, specificativè acceptam. Sed nego, hoc sensu, non posse quidquam facere contra legem naturalem, quasi illa respectu Christi esset obligativa; cum quamvis illa non foret, adhuc esset determinatus Christus, ad non mentiendum v. g. consequenter, non ideo id non potest facere Christus, quia violatio legis illius est turpis; sed quia habet essentialem determinationem non faciendi quidquam dissonum naturæ intellectuali. Quod si non ex eo mentiri non potest, quia violatio legis sibi latæ sit turpis: hoc ipso, non est subditus legi naturali, quæ lex est formaliter.

INSTAT 4. Inquiritur hæc ratio, cur Christus careat libertate, ad actus oppositos legi naturali: quæ non alia est, nisi quia peccaret, si tales actus eliceret, hoc autem est, teneri in conscientia non efficere actus illos.

RESPONDETUR. Teneri in conscientia, titulo præcepti formaliter, est subdilegi naturali; sed teneri circa objectum, sibi ceteroqui impossibile, non est subdilegi naturali quæ talis; consequenter, si Christus omitteret agere Deo gratias pro beneficiis, peccaret, essetque hæc ommissio non tantum contra rationem, sed etiam contra Deum: ita tamen, ut oppositum illius sit impossibile; adeoque non detur locus præcepto formali. Concedo, quod peccatum philosophicum possit prohibere Deus, & de facto prohibeat: quia illius prohibitionis habetur efficacia, nempe ut jam, si peccetur, peccetur violatione præcepti divini, inhiibentis objectum illud, quod erat solum Philosophicè malum. Quia tamen objectum illius præcepti, est aliunde impossibile, ut non observetur à Christo: ideo non relinquatur locus præcepto formali; nec haberi potest effectus illius præcepti in Christo.

INSTAT 3. Definitivè peccatum, est dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam;

*u

nam;

nam; sed eo casu peccaret Christus: ergo faceret contra legem æternam.

RESPONDETUR. Dictum, factum, vel concupitum, sumi hic universaliter, tam pro dicto, facto, concupito objectivo, seu quod concupiscitur; quam pro concupiscentia formali. Lex item sumitur, vel pro lege materialiter, vel pro lege formaliter. Christus ergo eo casu peccaret, contra legem, materialiter & objectivè. Vel certè loquebatur Augustinus, de peccato puræ creaturæ rationalis, de quo solum erat illi res. *Ad solvendas alias objectiones.*

NOTO 1. Ne dicat Deus, Nolo mentiri, quia mendacium est dissonum naturæ intellectuali: nihil repugnat, ne autem dicat Deus Christo, prohibeo tibi mendacium, repugnat: quia sive dicat hoc illi Deus, sive non dicat, aliunde hoc est Christo impossibile facere; nec potest formari præceptum purè prohibens, reddens illam actionem illicitam: quia sive reddatur illicitum, sive non reddatur, æque impossibile est.

NOTO 2. Non apparet, quid, si respectu Christi non potuit formari præceptum, præcipiens ne id fiat, formari potuerit præceptum prohibens? cum sit incogitabile, esse præceptum prohibens, & non esse præcipiens; cum præcipere, sit definitivè prohibere, constituereque opus illicitum; non purè per modum manifestantis displicentiam, circa illud objectum: sed per modum præcipientis; nec quisquam prohibere potest, nisi præcipiendo, ne hoc fiat; & si negatur, posse aliquid Christo præcipi: debet negari, quod possit Christo aliquid prohiberi.

NOTO 3. Quod scientia de impossibilitate chimæræ, moveat voluntatem Dei, ne velit producere chimæram; licet id non velit Deus, nisi actu necessario; cujus ratio est: quia sicut dantur in Deo, in ordine appetendi, necessitationes, ut amet, vel oderit; ita dari possunt in lineâ Agere, necessariae determinationes, ne scilicet id velit Deus agere, quod scientia dicat, non posse produci. Et certè potest Deus dicere, Nolo producere quidquam, quod non possim producere: ergo apparet, hunc actum præinformatum ab aliquo statu scientiæ: ergo ad illum actus scientiæ movet. Rursus, interrogatus Deus, an velit producere chimæram? respondebit; Nolo, interrogatusque, quare? non respondebit, nescio: sed recurret ad suam scientiam; ergo scientia illa movet, ne fiat.

NOTO 4. Casu quo diceret Christus, quamvis aliunde non impediret, observarem præceptum non mentiendi; idque ex eo, quia hoc præcipit Deus: ille actus non supponeret, Christum aliunde non impediri, ne mentiatur: sed poneret conditionatam; Si non impediret: hinc actus ille non supponeret actualitatem præcepti, sed possibilitatem, sic exprimibilem: mo-

dò non præcipio, sed præciperem, si aliunde non esset tibi impossibile.

NOTO 5. Si respectu Christi non potest dari propriè præceptum negativum prohibens, nec dabitur propriè lex negativa; cum hæc videantur verbis differre.

4. ARGUMENTUM ejusdem à pari.

1. PARITAS. Subiectum, quod est capax elicere promissiones conscientiam ligantes, est capax præcepti in conscientia, quamvis sit incapax peccandi: sed Christus poterat promississe alicui: cur non enim? Et, si Deus promissione potest se ligare, cur non Christus? de factoque quæ judex, (quod illi competit etiam quæ homo est) promittit nobis retributionem. Paritas autem tenet: quia sicut promissio reddit illicitam carentiam actionis promissæ; ita & præceptum carentiam operis justii. Jam autem promissioni obliganti in conscientia, adjungitur divina lex, præcipiens promissori, ut promissus sit.

RESPONDETUR. Negando majorem, & certè Christus est capax præcepti, respectu eorum, quæ aliàs potuisset elicere, actione non peccaminosa: quia in tali eventu datur effectus illius præcepti. Adstrictio nempe voluntatis; qui effectus habetur etiam in promissione: sed hi effectus non habentur respectu eorum, quæ non erant possibilia factu Christo, stante unionem. Promissioni autem adjuncta, lex Dei, non habet respectu Christi rationem legis formaliter: quia sive intelligatur, sive non, æque jam manet impossibile factum, ne illam impleat Christus.

2. PARITAS est. Christus non fuit incapax juramenti; ergo neque præcepti obligantis in conscientia.

RESPONDETUR. Juramentum posse cogitari, vel respectu eorum quæ poterant non fieri, idque actione honesta: vel respectu eorum, quæ non poterant non fieri nisi actione inhonestâ, respectu illorum priorum, potest haberi juramentum, quia & adstrictio, respectu posteriorum, distinguendum est in juramento. Primo, hoc quod est Deum invocare in testem, & hoc etiam tunc haberetur. Secundo, adstrictio & obligatio, hæc tunc frustranea & otiosa esset, sicut & præceptum respectu talium.

3. PARITAS est. Christus erat capax voti, nam etiam Beatissima erat incapax peccandi, & tamen emisit votum perpetuæ Virginitatis. Agnoscunt id Patres fecisse Christum, secundum illud Psal. 21. *Vota mea reddam*, &c. Et si Deus fuit capax aliquid promittendi Christo: cur non Christus Deo? stanteque saltem visione beatâ, est impossibile peccatum, & tamen stante visione, quam habuit Beatissima, ligabatur votis suis: ergo etiam Christus capax præcepti, obligatur in conscientia.

RESPONDETUR. Etiam voti erat Christus capax, non nisi respectu eorum, quæ poterat non fecisse,

fecisse, in quo paritas est, cum præceptis, etiam in simili materiâ, faciendis. Addo, in voto duo distingui posse, (sicut in simili dictum de iuramento) *Primo*, ipsa præcisè obligatio rei maioris. *Secundo* obligatio, ut non possit non facere. Primum illud est primum in voto, possetque dici, quod habeat effectum etiam respectu eorum, quæ non poterat non facere Christus. Secundum autem est secundarium, & frustraneum in Christo: quia si obligaretur voto, siue non, impossibile illi hoc erat factum, si fuit materia, quam ceteroqui non posset non facere Christus.

5. ARGUMENTUM. Quia oppositi supponunt, præfinitionem divinam absolutam, operationum Christi Domini, antecederet revelatam ipsi, ita obligare Christum, ut si per impossibile illi opponeretur, peccaret: quia sic conaretur frustrari voluntatem divinam.

RESPONDETUR. Cum præfinitiones illæ sine respectu eorum, quæ poterat Christus facere, & non facere, honestâ actione, antecederet ante præfinitionem: ideo adhuc datur & præfinitioni, & præcepto locus. Sed nego formatas præfinitiones, respectu eorum, quæ non poterat non facere; consequenter nego, respectu illorum, dari etiam potuisse præceptum.

Punctum Difficultatis 2.

Rationes Partis Negantis.

1. RATIO est ab Autoritate.

1. AUTHORITY est Chrysostomiti. 3. Homil. 59. *Qui à se ponit*, (supple actionem) *præcepto non indiget*. Item Homil. 75. *Nego enim, legislatorem legi subditum esse oportere*. Item: *præceptum* (inquit) *se à Patre accepisse dicens, nihil aliud ostendit, quam idem Patri videri, quod ipse facit*. Et post pauca, *Nihil autem aliud hoc in loco præceptum significat, quam cum Patre concordiam*. Idem habet Homil. 28. in Epist. ad Hebr.

RESPONDETUR. Prima autoritas ostendit, Christo non datum præceptum, nisi præsuppositâ obligatione illius voluntariâ. Secunda loquitur, de subditione legi latæ, non præconsultâ illius voluntatē, vel de subditione puris creaturis debitâ. Tertia ostendit, non fuisse illud præceptum latum, eo modo, quo nobis; sed præcisè multis, quæ non decerent dignitatem Christi. Quoad alterum, ostenditur libertas Christi, in illis præceptis servandis, quæ venit nomine concordie; sed non negatur, illam ipsam concordiam, Christo intimatam, potestate legislativâ, & reddente Christum obedientem.

2. AUTHORITY Nazian. orat. 4. *Perspicuum est utique, Patrem quidem, redemptionis præceptum accepisse, non tamen quod petierit, aut eo opus habuerit*.

RESPONDETUR. Nazianz. hoc loco significare, quod nulla fuerit Deo necessitas, aut indigentia, ut salvaret hominem; & quod ad hoc, sponte se suâ obtulit Christus; secundum dicta de libertate.

3. AUTHORITY Anselmi lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 9.

RESPONDETUR. Illic non negari, quod illi præceperit mortem. Insuper autoritates hæc solvi possunt, vel de præcepto comminativo pœnæ, vel de præcepto ingenuis indebito, v. g. coactivo, ad quod propositum, affertur ille locus Anselmi ibidem. *Non ergo cogit Deus, Christum mori, in quo nullum fuit peccatum*.

2. RATIO est. Præceptum obligans in conscientia, est obligans sub peccato; at obligare sub peccato, non aliud est, quam obligare sub merito & dignitate pœnæ; dignitas autem pœnæ repugnat, cui pœnâ repugnat: ergo cum repugnat Christo præceptum comminativum, repugnat etiam directivum, obligans in conscientia.

RESPONDETUR. Negando minorem, cum enim definitivè peccatum non sit meritum & dignitas pœnæ, bene salvari potest obligatio sub peccato, sine illo merito, & dignitate pœnæ. Possit item Deus dispensare cum aliquo, de incurfu pœnæ ob peccatum; etiam antecederet, & non dispensare, ne peccet, quod multo magis procedit de istis, quæ nec dispensari à Deo possunt; & tamen circa meritum pœnæ, potest dispensatio, aut potius indulgentia divina intercedere.

INSTABIS 1. Poterat Christus absolute non mori; ergo non fuit illi iunctum præceptum obligans in conscientia, de subeunda morte. Antecedens probatur ex Joan. 10. v. 18. Matth. 27. v. 52.

RESPONDETUR. Distinguendo consequens. Ergo non fuit illi iunctum præceptum, moriendi, non præconsultâ libertate Christi. Concedo, præconsultâ, Nego.

INSTABIS 2. Nomine præcepti impositi Christo, non aliud intelligitur, quam beneplacitum Patris. Unde etiam Marci 4. v. 27. appellatur hoc consilium Dei, quod iudices Christi, decreverant fieri.

RESPONDETUR. Beneplacitum, non est actus legislativi, cum etiam pari & inferiori conveniat, habere complacentiam, cum affectu ut fiat; jam autem præceptum, involvit quidem, ut fiat, sed insuper obligationem, quia teneris, cum volo, nego; quod talis actus Dei non potuerit fieri circa actionem Christi. Quando autem decretum de morte appellatur consilium

* u 2 lium